

# De B. Virginis Mariae sanctificatione

Autor(en): **Prado, Norbertus del**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie**

Band (Jahr): **21 (1907)**

PDF erstellt am: **13.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-761742>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern. Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Es hat sich somit ergeben, daß die rationalistischen Versuche einer einheitlichen Ableitung der Welt aus einem einzigen Prinzipie nicht geglückt sind.

(Fortsetzung folgt.)



## DE B. VIRGINIS MARIAE SANCTIFICATIONE.

Commentatio in D. Thomae Summae Theologiae P. 3 qu. 27.

(Sequitur vol. XX. p. 238. 346. 463.)

SCRIPSIT

FR. NORBERTUS DEL PRADO ORD. PRAED.

### Articulus 3.

Utrum per huiusmodi primam sanctificationem fuerit B. Virgini fomes totaliter sublatus.

#### I.

1. Doctrina D. Thomae in hoc 3. art. potest verificari de B. Virgine: „Posito etiam, quod ipsa (ut de facto est definitum) per gratiam sanctificantem fuisset praeservata ab actuali contractione peccati originalis, data enim illa praeservatione, remanet adhuc ex parte carnis infectio, licet non potuisset de facto inficere animam gratia vestitam sibi primo advenientem. Ac si dicatur ex notioribus nobis, quod in cloacis adhaerentes remanent immunditiae, cum tamen radium solis super se venientem et manentem neque inficiant nec inficere possint; et hoc excellentissima natura solis, ne scilicet per tantum immunditiarum consortium inficiatur, faciente et conservante. Quia igitur praeservatio illa ab originali non faciebat, quod caro non remaneret infecta, sed tantum quod anima ei adveniens ex eius consortio non contraheret infectionem; ideo fomes, etiam praeservatione data, remanere poterat. Unde si in art. praecedenti concessa fuisset talis praeservatio, iste articulus adhuc non esset superfluous, sed rationabiliter secundum ordinem doctrinae inquireret: An fomes in B. Virgine praeservata remansisset.“ (Porrecta.)

2. „Fomes nihil est aliud quam inordinata concupiscentia sensibilis appetitus, habitualis tamen, quia actualis

concupiscentia est motus peccati. Dicitur autem concupiscentia sensualitatis esse inordinata, in quantum repugnat rationi; quod quidem fit, in quantum inclinatur ad malum vel difficultatem facit ad bonum.“ (D. Thomas.)

3. „Concupiscentia habitualis dicitur, non quia sit habitus, sed quia est privatio habitus, privatio enim ad genus sui oppositi spectat: est siquidem appetitus sensitivus humanus privatus gratia habituali originalis iustitiae, qua promptus suberat rationis ordini; destitutus siquidem tali dono dicitur concupiscentia inordinata habitualis; quia sic est, etiamsi nihil actualiter concupiscat.“ (Caietanus.)

4. Concil. Trident. sess. 5: „Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec Sancta Synodus fatetur et sentit: quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus sed viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet; quinimo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinatur. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.“

5. Fomes se habet ex parte carnis, ut mors et ceterae poenalties corporales, quibus B. Virgo fuit subiecta. At tamen „mors et huiusmodi poenalties de se non inclinant ad peccatum. Unde etiam Christus, licet assumpsit huiusmodi poenalties, fomitem tamen non assumpsit.“ (A. 3 ad 1.)

6. „Sicut in secunda Parte dictum est (1. 2. qu. 81 a. 1), peccatum originale hoc modo processit, quod primo persona infecit naturam, postmodum vero natura infecit personam. Christus vero, converso ordine, prius reparat id, quod personae est, et postmodum simul in omnibus reparabit id, quod naturae est. Et ideo culpam originalis peccati et etiam poenam carentiae visionis divinae, quae respiciunt personam, statim per baptismum tollit ab homine; sed poenalties praesentis vitae (sicuti mors, fames, sitis et alia huiusmodi) respiciunt naturam, ex cuius principiis causantur, prout est destituta originali iustitia; et ideo isti defectus non tollentur nisi in ultima reparatione naturae per resurrectionem gloriosam.“ (3. p. qu. 69. a. 3 ad 3.)

7. „Difficultas ad bonum et pronitas ad malum inve-

niuntur in baptizatis, non propter defectum habitus virtutum, sed propter concupiscentiam, quae non tollitur in baptismo. Sicut tamen per baptismum diminuitur concupiscentia, ut non dominetur, ita etiam diminuitur utrumque dictorum, ne homo ab his superetur.“ (Ibid. a. 4 ad 3.)

8. Circa quaestionem huius articuli sunt diversae opiniones, quae enumerantur a D. Thoma in corpore art. et quarum sunt: a) Quod in ipsa sanctificatione totaliter fuit B. Virgini fomes subtractus. b) Quod remansit fomes quantum ad difficultatem ad bonum, non autem quantum ad pronitatem ad malum. c) Quod remansit fomes, quantum pertinet ad corruptionem seu infirmitatem naturae, non autem in quantum pertinet ad corruptionem personae. d) Quod remansit fomes secundum essentiam, sed ligatus, ne procederet in actum; in ipsa autem conceptione Filii Dei fuit totaliter sublatus. Quid vero tenere oportet, per subsequentes conclusiones aperitur.

## II.

Conclusio 1. B. Virgo per gratiam, qua sanctificata fuit in primo instanti suae conceptionis, fuit libera ab omnibus, quae in peccato originali respiciunt personam.

Ratio: Quae in peccato originali respiciunt personam, sunt: 1. culpa originalis peccati; 2. poena carentiae visionis divinae. Sed haec statim per baptismum aufert gratia Christi in omnibus regeneratis. Ergo gratia Christi liberavit B. Virginem ab his praeservando animam ipsius, antequam in illa incurreret.

Conclusio 2. B. Virgo per gratiam praeservantem non fuit libera ab aliis, quae respiciunt naturam.

Ratio: Haec sunt poenalitates praesentis vitae sicut mors, fames, sitis et alia huiusmodi, et quae Christus voluit assumere propter rationes expositas supra qu. 14 a. 1. Qui quidem defectus non tollentur nisi in ultima reparatione naturae per resurrectionem gloriosam. Sed B. Virgo fuit subiecta huiusmodi poenalitatibus, ut conformaretur Christo.

Conclusio 3. Quoad fomitem peccati, dicendum, quod vel totaliter fuit a B. Virgine sublatus per primam sanctificationem; vel si remanserit, quod fuerit ligatus, usque quo in ipsa conceptione carnis Christi totaliter fuit ablatum a Virgine Matre.

Ratio prima: In omnibus regeneratis in Christo per gratiam sanctificantem fomes peccati, etsi non tollatur, tamen diminuitur tanto plus, quanto gratia est abundantior. Unde in sanctificatione, quae fit per legem communem in Sacramentis, adhuc remanet fomes inclinans ad peccatum mortale et veniale; in sanctificatis ante nativitatem ex utero non manet fomes, secundum quod est inclinans ad mortale, sed tamen remanet inclinatio fomitis ad venialia, ut patet in Ieremia et Ioanne. Sed sanctificatio B. Virginis excellentior fuit sanctificationibus aliorum; etenim fuit sanctificata, non modo ante nativitatem ex utero, sed in ipso instanti animationis suae in utero. Ergo vel dicendum, quod gratia sanctificationis in B. Virgine totaliter sustulit fomitem peccati; vel saltem quod ligavit: id est, vel quod in prima sanctificatione, „quantum ad hoc gratia sanctificationis in Virgine habuit vim originalis iustitiae“; vel quod „in B. Virgine inclinatio fomitis omnino impedita fuit per gratiam sanctificantem, ne in peccatum inclinaret aut a bono retraheret“.

Ratio secunda: Christus, licet assumpserit poenalties corporis, fomitem seu infirmitatem tamen carnis, quae in sanctis viris est perfectae virtutis occasio, non assumpsit. Ergo in B. Virgine sufficit ponere perfectam virtutem ex abundantia gratiae, nec oportet in ea ponere occasionem perfectionis. Ergo in B. Virgine, ut Filio conformaretur, de cuius plenitudine gratiam accipiebat, fomes vel fuit totaliter sublatus in prima sanctificatione, vel saltem ligatus usque ad conceptionem carnis Christi. (Qu. 15 a. 2; qu. 27 a. 3. ad 1 et 2.)

Conclusio 4. D. Thomas existimat melius dicendum, quod fomes fuerit totaliter subtractus in ipsa conceptione carnis Christi.

Ratio prima: Liberatio a damnatione peccati est: 1. secundum spiritum; 2. deinde etiam secundum carnem. Liberatio secundum spiritum est per fidem Christi ante Incarnationem et post Incarnationem. Liberatio secundum carnem „non videtur fieri debuisse nisi post Incarnationem eius, in qua primo debuit immunitas damnationis apparere. Et ideo sicut ante immortalitatem carnis Christi resurgentis nullus adeptus fuit carnis immortalitatem, ita inconueniens videtur dicere, quod ante Christi carnem, in qua nullum fuit peccatum, caro Virginis Matris eius vel cuiuscumque alterius fuerit absque fomite, qui

dicitur lex carnis sive membrorum. Et ideo videtur melius dicendum, quod per sanctificationem in utero non fuerit sublatus B. Virgini fomes secundum essentiam, sed remanserit ligatus“.

Observatio Caietani circa hanc rationem: „Prima caro sancta debuit esse caro Christi. Affertur enim in Littera ratio talis: Absque virtute Christi nullus a prima damnatione liberatur. Ergo ante Incarnationem Christi nullus secundum carnem debuit a prima damnatione liberari. Consequentia probatur: Quia in Christi carne debuit primo apparere immunitas a damnatione. Et confirmatur a simili de immortalitate carnis . . . Adverte hic, quod Auctor . . . ex simili effectu salutis carnalis et spiritualis a Christo, dum causam tangit, scilicet secundum spiritum et secundum carnem, consequentiam probat. Consentaneum quippe rationis est, ut sicut salus spiritus per spiritualem modum fit (per fidem scilicet, quae est etiam futurorum); ita salus carnis carnaliter quoque fiat; ac per hoc a prima carne sancta suapte natura, qualis est procul dubio secundum omnes sola Christi caro, de qua sola scriptum est: Quod ex te nascetur sanctum. Videre etiam potes, quam consona ratio allata sit; tum ut primum in uno quoque genere sit causa aliorum; tum ut principium et consummatio rei cor respondeant sibi. Salus carnis consummatur per immortalitatem, inchoatur per sanctitatem eiusdem carnis. Et quia constat, primam carnem immortalem fuisse carnem Christi (quia ipse est Primogenitus mortuorum), consonum est, ut eius caro fuerit etiam prima caro sancta. Sanctitas autem carnis penes munditiam seu immunitatem a fomite, qui lex carnis dicitur, attenditur. Non igitur inventa est caro sine fomite ante Christi carnem, si primus locus Christo reservatus est, sicut reservari decuit. Et memento, lector, ut in istius modi quaestionibus non quaeras rationes mathematicas: indisciplinati enim est ingenii, quaerere similem in omni materia certitudinem; rationabilem hic sufficit inferre conclusionem.“

Ratio secunda: Ezechielis cap. 43. v. 2: „Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem . . . Et terra splendebat a maiestate eius.“ Gloria Dei ingrediens per viam orientalem signat in figura Verbum Dei Incarnatum in sinu Virginis; terra autem splendens a maiestate Dei ingredientis signat carnem B. Virginis refulgentem sua puritate et munditia ex ipsa conceptione carnis

Christi, in qua primo debuit refulgere peccati immunitas. Credendum ergo est, quod ex prole redundaverit in Matrem, totaliter fomite subtracto.

Ratio tertia: Lucae cap. 1 v. 40—45: „Et intravit in domum Zachariae et salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero eius, et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth. Et exclamavit voce magna et dixit: Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino.“ Si enim ex praesentia Christi adhuc in utero B. Virginis clausi redundavit tanta gratiae vis in Ioannem in ventre Matris existentem, quantam credendum est redundasse ex praesentia ipsius Christi in utero virginali in suam Virginem Matrem? Unde S. Ambrosius super Lucam cap. 1: „Exultavit Ioannes, exultavit et Mariae spiritus. Exultante Ioanne repletur Elisabeth, Mariam tamen non repleri spiritu, sed spiritum eius exultare cognovimus. Incomprehensibilis enim incomprehensibiliter operabatur in Matre.“

Conclusio 5. Fomes remansit ligatus in B. Virgine usque ad Conceptionem Christi, non quidem per actum rationis suae, sed per abundantiam gratiae, quam in sanctificatione recepit, et etiam perfectius per divinam providentiam sensualitatem eius ab omni inordinato motu prohibentem.

„Non per actum rationis suae, sicut in viris sanctis; quia non habuit usum liberi arbitrii adhuc in ventre matris existens: hoc enim est speciale privilegium Christi.“ (D. Thomas.) Per abundantiam gratiae et perfectius per divinam providentiam: 1. „Ut denotet solam additionem maioris perfectionis ita, quod perfectioni interiori superaddatur perfectio ab exteriori prohibente; sicut si diceremus, quod fons aquae est frigidus ab intrinseca qualitate, et perfectius ab extrinseco concavo monte prohibente solem calefacientem.“ 2. Quia „manente in B. Virgine fomite, ut supponitur, efficacius retentivum actuum ipsius ponitur Divina Providentia ad interiora et exteriora se extendens infallibiliter, quam gratia interioris sanctitatis non tollens tamen fomitem; quia huiusmodi gratia reliquit locum actuali usui praeter gratiam, ut patet in Ioanne et Ieremia

et Apostolis confirmatis virtute ex alto“. Nam „fomes ipse, cum inclinatio habitualis sit, optime et propriissime per habitum curatur ac tollitur; sed actus ipse, cum praeter ac contra infusum habitum exerceri possit ex ipsa habituali inclinatione impellente, requirit ad hoc, ut inobliquabilis sit, manente interiori inclinatione, exteriorem curam, quae ad ea, quae intus et ea, quae extra sunt, se efficacissime extendat“. 3) „Ligatus est ergo B. Virginis fomes usque ad conceptionem Filii: a) et per gratiam sanctificantem relinquentem fomitis essentiam et dominantem exercitio (ut habitualis gratia viatorum praesidere consuevit subiecto, ne exorbitet in actu); et b) per Divinam providentiam perfectius, ut plene ac infallibiliter praesidentem, ne actus exorbitet.“ „Et haec expositio est tanto auctore dignior, quanto subtilior; et diversitatem in littera positam modorum ligandi et comparisonem proprie penetrat, et ab ipso auctore in sequenti art. in responsione ad 1 haberi posset.“ (Caietanus.)

#### Observatio.

Ratio, quam D. Thomas affert in hoc art. 3, conservat suum vigorem etiam post definitionem dogmaticam Immaculatae Conceptionis; nisi dicatur, quod definitio dogmatica se extendit etiam usque ad praeservationem ab ipso fomite. Eo quod haec formula: „Ab omni labe culpae originalis“ plus aliquid significare potest quam haec: „A culpa originali.“ Certissimum est, definitionem claudere praeservationem a macula culpae seu peccati originalis; utrum autem aliquid plus in definitione claudatur, non constat. Si Angelicus Doctor cognovisset definitionem dogmaticam, nihil fortasse dubitaret in sustinendo primam opinionem eorum, scilicet qui dicebant: „Quod in ipsa sanctificatione B. Virginis, qua fuit sanctificata in utero, totaliter fuit ei fomes subtractus.“ (a. 3.) Verum tamen fomitem extinguere dicit plus quam fomitem ligari. Et quod aliqui theologi, v. g. Suarez, extinctionem fomitis vocant, hoc apud D. Thomam denominatur fomitis ligatio. „Hic modus (inquit Suarez 3 P. qu. 27 a. 6, Disp. 4 sect. 5) per habitus et virtutes perfectas et per divinam gratiam excitantem praeventem et adiuvantem merito dici potest extinctio fomitis; cum per illum et appetitus inferior intrinsece perficiatur et subordinetur superiori, et ipsa superior ratio ex divino auxilio semper,



cum oportet, attendat et praeveniat, ne ab inferiori praeveniatur.“ Et supra art. 3 ipse Suarez scripserat: „Sentit D. Thomas utroque modo (quoad personam et quoad corruptionem naturae) extinctum fuisse fomitem in Virgine, quando illi ablatus est. Sed difficilis est haec ratio et sententia D. Thomae; quia fomitem extinguere quoad corruptionem naturae nihil aliud esse videtur, quam personam esse ita dispositam, ut licet filium generet vel concipiat, in illum non transfundat originale peccatum.“ Unde patet, quo modo apud D. Thomam extinctio fomitis significet plura, quam quae aliqui moderni theologi cogitare videntur; et quidquid perfectionis per extinctionem fomitis intendunt significare, totum hoc per ligationem fomitis D. Thomas significavit.

#### Articulus 4.

Utrum per huiusmodi sanctificationem fuerit consecuta B. Virgo, ut numquam peccaret.

#### I. Conclusiones.

1. „Simpliciter fatendum est, quod B. Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale nec veniale.“

Argumentum 1: Ex Concilio Tridentino sess. 6 can. 27: „Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere: atque ideo eum, qui labitur et peccat, numquam vere fuisse iustificatum; aut e contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia: anathema sit.“

Argumentum 2: Ex auctoritate S. Augustini lib. de natura et gratia cap. 36: „De Sancta Virgine Maria propter honorem Christi nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem: inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.“

Argumentum 3: Ex auctoritate D. Thomae: a) In Psalm. 14 exponens illa verba: „Qui ingreditur sine macula,“ ait „in Christo et in Virgine Maria nulla omnino macula fuit.“ b) Et in Ps. 18 exponens illa verba: „In sole posuit tabernaculum suum,“ docet: „Quod ergo dicit in sole posuit, id est corpus suum posuit in sole, id est in

B. Virgine, quae nullam habuit obscuritatem peccati. Cantic. 4 v. 7: Tota pulchra es, et macula non est in te.“ c) Et in Ps. 45 scribit: „Et est alia sanctificatio B. Virginis et aliorum sanctorum; quia alii sic sanctificati fuerunt, quod nunquam mortaliter peccaverunt, tamen venialiter, sic I Ioann. cap. 1: Si dixerimus, quia peccatum non habemus etc. B. autem Virgo nec mortaliter nec venialiter umquam peccavit. Cantic. cap. 4: Tota pulchra es anima mea. Et ideo dicit: Non commovebitur, nec veniali peccato. Et ideo dicit: Adiuvabit eam Deus vultu suo mane diluculo, id est ea existente in utero. Et hoc est, quod dicit, quod auxiliatus est ei Dominus in ipso ortu matutino.“

Argumentum 4: Ex ipsa Divina Maternitate. Non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam B. Virginem ad hoc, quod esset Mater Dei, idoneam reddidit. Sed B. Virgo non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando. Ergo simpliciter fatendum est etc. . . Maior probatur: Illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei, secundum illud 2 ad Corinth. c. 3, 6: „Idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti.“ B. autem Virgo fuit electa divinitus, ut esset Mater Dei. Ergo. Minor probatur triplici ratione: Ratio prima: Honor parentum redundat in prolem secundum illud Proverb. 17, 6: Gloria filiorum, patres eorum; unde et per oppositum ignominia matris ad filium redundasset. Sed ignominia Matris Dei fuisset, si aliquando peccasset. Altera ratio: B. Virgo singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem acceperat. Sed haec affinitas ad Christum non fuisset singularis, si B. Virgo peccasset aliquando: Quae enim conventio Christi ad Belial? quae autem societas Luci ad tenebras? (2 ad Corinth. 6, 14. 15.) Ratio tertia: Singulari modo Dei Filius, qui est Dei Sapiaentia, in ipsa B. Virgine habitavit, non solum in anima, sed etiam in utero. Dicitur autem Sap. 1, 4: „In malevolam animam non introibit Sapiaentia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.“ Ergo in B. Virgine, in cuius anima et in cuius corpore Dei Sapiaentia singulari modo habitavit, adimpleri debuit, quod dicitur Cantic. 4, 7: „Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.“

Argumentum 5: Ex doctrina S. Patrum et Doctorum, inter quos: a) S. Ambrosius lib. 2 de Virginibus: „Sit vobis tamquam in imagine descripta virginitas vitaque

Mariae: de qua velut speculo refulget species castitatis et forma virtutis. Erat illa virgo non solum corpore, sed etiam mente: quae nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum, corde humilis, verbis gravis, animo prudens. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum. Non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior: ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Talem hanc Evangelista monstravit, talem Angelus reperit, talem Spiritus Sanctus elegit.“ b) Venerabilis Beda exponens illa verba Lucae cap. 11: „Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae tu suxisti. Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud,“ ait: „Hoc in loco Beatae Dei Genitricis excellentia commendatur; quia in tanta speculationis custodia Domino famulabatur, quod ipsius humilitati et sanctitati nullus sanctorum comparabatur. Beatam igitur esse Matrem suam Salvator noster praedicavit: quae Verbum Dei audivit, et supra omnes huius vitae mortales custodivit.“ Ac si Christus aperte diceret: Plus est beata Mater mea ex hoc, quod mandata Dei audita plenissime custodivit, quam quod in ventre me portavit et uberibus lactavit. c) S. Bernardus in Serm. de duodecim prerogativis: „Mulier, inquit, amicta sole. Plane amicta lumine tamquam vestimento. Non percipit forte carnalis: nimirum spirituale est, stultitia illi videtur. Non sic videbatur Apostolo, qui dicebat: Induimini Dominum nostrum Iesum Christum (ad Rom. 13, 14). Quam familiaris ei facta es, Domina! quam proxima, imo quam intima fieri meruisti, quantam invenisti gratiam apud eum! In te manet et tu in eo, et vestis eum et vestiris ab eo. Vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloria suae maiestatis. Vestis solem nube, et sole ipsa vestiris . . . In capite eius corona stellarum duodecim. Dignum plane stellis coronari caput, quod et ipsis longe clarius micans ornet eas potius, quam ornetur ab eis. Quid ne coronent sidera, quam sol vestit? . . . Supra hominem est coronae huius rationem exponere, indicare compositionem . . . Etiam speciali quodam splendore in Maria coruscant mansuetudo pudoris, devotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, martyrium cordis.“ Et in Epist. ad Canon. Lugdunenses: „Ego puto, quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato

custodiret immunem. Quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum singulari privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quae dum peccati mortisque peremptorem pareret, munus vitae et iustitiae prae omnibus obtineret.“

### Observationes.

1. „Immunitas a peccato B. Virginis a tribus causabatur, scilicet ex ligatione fomitis, qui ad malum non incitabat; ex inclinatione gratiae, quae in bonum ordinabat, quamvis nondum per eam liberum arbitrium esset in fine ultimo stabilitum, sicut est in beatis, qui ad finem pervererunt; et iterum ex conservatione Divinae Providentiae, quae eam intactam custodivit ab omni peccato, sicut in primo statu hominem ab omni nocivo protexisset.“

2. „Sanctificatio B. Virginis excellentior fuit sanctificationibus aliorum“ . . . Sed S. Ioanni Baptistae et Apostolis post Pentecostem datum est, ut peccatum actuale mortale numquam haberent. Unde non est dubitandum, multo excellentius hoc munus gratiae collatum fuisse, ut scilicet etiam nec veniale peccatum haberet. „Sed in B. Virgine inclinatio fomitis omnino sublata fuit, et quantum ad veniale et quantum ad mortale; et quod plus est, ut dicitur, gratia sanctificationis non tantum repressit in ipsa motus illicitos, sed etiam in aliis efficaciam habuit; ita ut quamvis esset pulchra corpore, a nullo unquam concupisci potuit.“ (Lib. 3 Sent. dist. 3 q. 1 a. 2 q. 1 ad 4.)

Conclusio 2. „Per secundam sanctificationem, quae in Conceptione Salvatoris fuit, B. Virgo confirmationem in bono adeptam est.“

Ratio prima: „Ubi est plenitudo lucis,abilitas ad tenebras non remanet. Sed in conceptione Christi B. Virgo tota lumine plena fuit, concipiens illum, qui est Splendor gloriae Patris (ad Hebr. 11). Unde dicitur Ezech. 43, 4 et 5: Ingressa est gloria Domini templum, et resplenduit. Ergo post illam sanctificationem confirmata fuit in bono.“

Ratio secunda: Effectus sanctificationis in generali est duplex, scilicet emundare et confirmare. Sed duplex sanctificatio B. Virginis esse dignoscitur: prima, qua in utero sanctificata fuit et praeservata a peccato originali quantum ad maculam et reatum, et qua fomes peccati fuit vel totaliter sublatus vel saltem ligatus; secunda vero,

qua inclinatio fomitis omnino sublata fuit et quantum ad veniale et quantum ad mortale. Cum ergo gratiae sit firmitatem quamdam facere, et effectus sanctificationis sit emundare et confirmare, et quantum ad utrumque secunda sanctificatio perficiat primam; dicendum, quod in secunda sanctificatione B. Virgo adepta est confirmationem in bono.

Ratio tertia: Confirmatio in bono et immunitas a peccato et omnis emundatio a peccato est quaedam inchoatio confirmationis. Immunitas autem a peccato a tribus causatur, „scilicet ex ligatione fomitis, qui ad malum non incitabat; ex inclinatione gratiae, quae in bonum ordinabat, quamvis nondum per eam liberum arbitrium esset in fine ultimo stabilitum, sicut est in beatis, qui ad finem viae pervenerunt; et iterum ex conservatione Divinae Providentiae, quae eam intactam custodivit ab omni peccato, sicut et in primo statu hominem ab omni nocivo protexisset“. „In prima sanctificatione consecuta est immunitatem a peccato, non per gratiam confirmantem, sed per ligationem fomitis ad malum inclinantis, et per custodiam Divinae Providentiae, sine qua, etiam fomite omnino extincto, peccare potuisset, sicut et Adam peccavit, nisi esset in ea gratia consummata.“

Ratio quarta: „In secunda sanctificatione et emundatio et confirmatio in bono quodammodo consummata est secundum perfectionem viae; sed in Assumptione eius gloriosa consummata est secundum perfectionem patriae: quod sic patet. In prima enim sanctificatione ablata fuit inclinatio fomitis, remanente essentia eius. In secunda vero fuit extinctus ipse fomes per essentiam, remanentibus adhuc poenalitibus ex peccato causatis: a quibus plene liberata fuit per gloriam Assumptionis. Similiter etiam est ex parte altera. In prima sanctificatione gratia collata fuit ad bonum efficaciter liberum arbitrium inclinans; quamvis non esset sufficiens ad tollendum flexibilitatem liberi arbitrii in malum, quam etiam homo in primo statu habuit. In secunda vero sanctificatione gratia superaddita fuit, quae ita potentiam liberi arbitrii impleret, ut in contrarium flecti non posset, non quidem tollendo naturam libero arbitrio, sed defectum; sicut materia coeli ex eo, quod subsistit formae, quae omnem privationem ab ea excludit, non est in potentia ad corruptionem. Sed in tertia exaltatione eius per gratiam perfectam in gloriam trans-

euntem, fini coniuncta est: ex quo perfecta immobilitas causatur.“

Ratio quinta: „Potentia peccandi aufertur dupliciter. Vel per hoc, quod liberum arbitrium ultimo fini coniungitur, qui ipsum superimplet, ut nullus defectus in eo remaneat, et hoc fit per gloriam. Unde in nullo puro viatore sic peccandi potentia solvitur, ut cum ablatione potentiae peccandi tollatur potentia moriendi, nisi in Christo, in quo dispensative remansit ad opus redemptionis complendum. Alio modo aufertur per hoc, quod gratia tanta infunditur quae omnem defectum tollat; et sic in B. Virgine, quando concepit Dei Filium, ablata est peccandi potentia, quamvis in statu viae ipsa Virgo remaneret.“

Ratio sexta: In B. Virgine fuit triplex perfectio gratiae: quarum una augebat perfectionem alterius: uno modo per liberationem a malo et alio modo per ordinem ad bonum. Per liberationem a malo, primo, in sua sanctificatione fuit praeservata a culpa originali; secundo, in conceptione Filii fuit totaliter a fomite mundata; tertio vero in sui glorificatione fuit liberata etiam ab omni miseria. Per ordinem autem ad bonum, primo in sua sanctificatione adeptam est gratiam inclinantem eam ad bonum; in conceptione autem Filii Dei consummata est eius gratia confirmans eam in bono, in sui vero glorificatione consummata est eius gratia perficiens eam in fruitione omnis boni.

Ratio septima: Est quidem status adeo summae atque perfectae sanctitatis etiam in praesenti vita, quod illi, qui huiusmodi perfectionem attingunt: 1. habent illas virtutes, quae vocantur purgati animi, et quae sunt propriae Sanctorum iam assequentium Divinam similitudinem: quas quidem virtutes, ait D. Thomas (1. 2 qu. 61 a. 5) dicimus esse beatorum vel aliquorum in hac vita perfectissimorum; 2. exercent opera virtutum, quae dicuntur heroica, divina, beatitudines, et quae attribuuntur donis Spiritus Sancti; 3. videntur etiam esse confirmati in caritate et gratia. Sed si qui Sancti, ut Apostoli et alii, quos Deus scit, ad hunc sanctitatis statum pervenerunt, multo amplius fatendum est, B. Virginem longe omnes illos in excellentia perfectionis et virtutis superexcedisse. Nam 1. Spiritus Sanctus in B. Virgine duplicem purgationem fecit, unam quidem praeparatoriam ad Christi

conceptionem . . . mentem eius magis in unum colligens et a multitudine sustollens . . . Aliam vero purgationem operatus est in ea Spiritus Sanctus, mediante conceptione Christi, quae fuit opus Spiritus Sancti. (3 P. qu. 28 a. 3 ad 3.) 2. B. Virgo habebat plus quam ceteri Sancti, secundum statum praesentis vitae, cor semper directum in Deum, et minus deficiebat ab unitate et continuitate illius operationis, qua homo in hac vita conjungitur Deo; sed quae in nobis non potest esse nec sempiterna nec continua et per consequens nec unica (1. 2. qu. 3 a. 2 ad 4). Unde et B. Virgo habuit et summum contemplationis gradum. (3 P. qu. 28 a. 4 ad 2 et a. 5 ad 3). 3. B. Virgo agebatur singulariter a Spiritu Sancto. Unde S. Ioannes a Cruce: „Dios con particularidad mueve las potencias de estas almas . . . Tales eran las de la gloriosa Madre de Dios, la cual, estando desde el principio levantado á este alto estado, nunca tuvo en su alma impresa forma de alguna criatura que la divirtiese de Dios, ni por ella se movió; porque siempre su mocion fué del Espíritu Santo.“ (Subida de Monte Carmelo, liv. 3 cap. 1.) 4. B. Virgo supra omnes Sanctos et angelos coniuncta est per caritatem cum Deo. Unde S. Ioannes a Cruce: „Es una transformacion total en el Amado . . . está el alma hecha Divina y Dios por participacion, cuanto se puede en esta vida. Y así pienso que este estado nunca acaece sin que esté el alma en él confirmada en gracia; porque se confirma la Fe de ambas partes, confirmándose aquí la de Dios en el alma; de donde este es el más alto estado á que en esta vida se puede llegar.“ (Cant. Espirit. Canc. XXII.)

Conclusio 3. „Dicendum est simpliciter, quod liberum arbitrium per gratiam in patria potest confirmari in bono.“

Ratio prima: „Non potest esse peccatum in motu voluntatis, scilicet quod malum appetat, nisi in apprehensiva virtute defectus praeexistat, per quem sibi malum ut bonum proponatur.“ Sed per gratiam Dei potest totaliter omnis defectus tolli ex apprehensiva virtute creaturae rationalis. Ergo. Maior patet ex eo, quod voluntas naturaliter tendit in bonum sicut in suum obiectum: quod autem aliquando in malum tendat, hoc non contingit, nisi quia malum sibi sub specie boni proponitur.“ Malum enim est involuntarium; nemo operatur intendens malum, nemo vult malum nisi sub ratione boni. Minor probatur. Defectus

in ratione potest dupliciter accidere: uno modo ex ipsa ratione; alio modo ex aliquo extrinseco. Ex ipsa quidem ratione, quia in particulari potest errare, aestimando aliquid esse finem, quod non est finis; vel esse utile ad finem, quod non est utile. Unde in hoc vel illo fine appetendo aut hoc vel illo utile eligendo, incidit peccatum voluntatis. Ex aliquo autem extrinseco ratio deficit, cum propter vires inferiores, quae intense moventur in aliquid, intercipitur actus rationis, ut non limpide et firmiter suum iudicium de bono voluntati proponat. Sed per gratiam in patria uterque istorum defectuum totaliter a beatis tolletur ex coniunctione ipsorum ad Deum. Nam 1. divinam Essentiam videntes cognoscent, ipsum Deum esse finem maxime amandum; cognoscent etiam omnia, quae ei uniunt, vel quae ab eo disiungunt, in particulari, cognoscentes Deum non solum in se, sed prout est ratio aliorum; et 2. hac cognitionis claritate in tantum mens roborabitur, quod in inferioribus viribus nullus motus insurgere poterit nisi secundum regulam rationis. Ergo.

Ratio altera: Hoc est ex defectu naturae creatae, quod in malum flecti potest. Sed hunc defectum aufert perficiendo naturam gratia confirmans in bono, sicut lux superveniens aeri aufert obscuritatem eius, quam naturaliter sine luce habet. Minor ostenditur 1. ex natura gratiae. Gratia divina ex se semper firmat plus minusve liberum arbitrium in bono; et quamvis sit secundum esse suum in libero arbitrio per modum eius sicut accidens in subiecto, tamen ad rationem suae immutabilitatis liberum arbitrium pertrahit coniungendo idem cum Deo. 2. Ex natura gratiae consummata in patria. „Propter hoc enim naturaliter liberum arbitrium creaturae in bono confirmatum esse non potest, quia in natura sua non habet perfecti et absoluti rationem boni, sed cuiusdam boni particularis; huic autem Bono, perfecto et absoluto, scilicet Deo, liberum arbitrium per gratiam unitur. Unde si fiat perfecta unio, ut ipse Deus sit libero arbitrio tota causa agendi, in malum flecti non poterit. Quod quidem in aliquibus contingit, praecipue in beatis. Unde sicut nunc immutabiliter bonum in generali appetimus, ita immutabiliter in particulari bonum debitum appetunt beatorum mentes. Super naturalem autem inclinationem voluntatis erit in eis caritas perfecta, totaliter ligans eos cum Deo. Unde nullo modo in eis peccatum incidere poterit, et



sic erunt per gratiam confirmati.“ (De Verit. qu. 24 a. 8.)

Ratio tertia: „Quia mens Deo coniuncta super omnia alia elevatur; et sic ab huiusmodi coniunctione nullum aliud agens potest ipsam excludere.“ (1. 2. qu. 5 a. 4.)

Ratio quarta: Quia „voluntas videntis Dei essentiam ex necessitate amat, quidquid amat, sub ordine ad Deum; sicut voluntas non videntis Dei essentiam ex necessitate amat, quidquid amat, sub communi ratione boni, quam novit; et hoc ipsum est, quod facit voluntatem rectam“. „Quia rectitudo voluntatis est per debitum ordinem ad finem ultimum.“ (1. 2. qu. 4 a. 4.)

Conclusio 4. Liberum arbitrium etiam in statu viae potest in bono confirmari, attamen non sic, ut in patria. (Lege 3 Sent. dist. 3 qu. 1 a. 2 q. 3.)

Ratio prima: „Affectus pervenit ad finem, non solum quando finem perfecte possidet, sed etiam quodammodo, quando ipsum intense desiderat; et per hunc modum aliquo modo in statu viae aliquis potest confirmari in bono.“ (Quaest. disp. de Verit. q. 24 a. 9 ad 1.)

Ratio altera: Eo modo aliquis in statu viae dicitur confirmatus in bono, sicut et perfectus. Sed in via datur status perfectionis altissimae, in quo caritas incipit totaliter ligare viros perfectissimos cum Deo, et ipse Deus incipit esse libero arbitrio eorum tota causa agendi. Ita Apostoli per adventum Spiritus Sancti confirmati fuerunt in bono. Ita B. Virgo in statu viae confirmata quoque fuit in bono adhuc excellentiori modo.

Ratio tertia: Esse confirmatum in bono in statu viae et „non posse peccare“: 1. in quantum non de facili potest aliquis a bono deflecti; 2. in quantum, etsi absolute loquendo non in se sufficiens habeant suae firmitatis principium, attamen Divina Providentia ita eos custodit, ut omnino peccare non possint. Sed per gratiam viae ita voluntas potest in Deum inclinari et ratio in contemplatione divinae veritatis perfici; et quod adhuc deficit ad simplicem confirmationem in bono, per auxilium Dei speciale compleri, ut de facto peccare vir iustus non possit. Ergo. Unde Divus Thomas (1. 2. qu. 106 a. 2 ad 2): „Gratia Novi Testamenti, etsi adiuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non possit; hoc enim pertinet ad statum gloriae.“

Quoad secundam partem. Ratio prima: Aliquis potest confirmari in bono dupliciter. Uno modo simpliciter: ita scilicet, quod habeat in se sufficiens suae firmitatis principium, quod omnino peccare non possit. Alio modo secundum quid: ita scilicet, quod in se non habeat adhuc sufficiens suae firmitatis principium, sed indigeat compleri per auxilium Dei speciale. Sed beati sunt confirmati in bono primo modo, simpliciter, utpote in se iam possidentes virtutem sufficientem, ut omnino peccare non possint. Qui autem in statu viae in bono confirmantur, dicuntur confirmati in bono: 1. per hoc, quod eis datur aliquod munus gratiae, quo ita inclinantur in bonum, quod non de facili possunt a bono deflecti; 2. per hoc, quod Divina Providentia custodiente ita etiam retrahuntur a malo, quod omnino peccare non possint. Sed dicitur de immortalitate Adae, qui ponitur immortalis, non quod omnino aliquo sibi intrinseco protegi posset ab omni exteriori mortifero, utpote ab incisione gladii et aliis huiusmodi: a quibus tamen Divina Providentia conservabatur; et hoc modo aliqui in statu viae possunt confirmari in bono et non primo.

Ratio altera: Tunc confirmari in bono aliquis simpliciter dicitur, cum aliquis omnino impeccabilis redditur. Sed nemo omnino impeccabilis reddi potest per gratiam in statu viae, sed solum in patria. Ergo. Minor ostenditur: Non enim potest aliquis omnino impeccabilis reddi, nisi omnis origo peccati auferatur. Atqui in statu viae non aufertur omnis peccati origo. Etenim origo vel ex rationis errore, quae in particulari decipitur circa finem boni et circa utilia, quae in universali naturaliter appetit; vel ex hoc, quod iudicium rationis intercipitur propter aliquam passionem inferiorum virium. Sed per gratiam in statu viae potest incedi alicui viatori, ut ratio nullatenus erret circa finem boni et circa utilia in particulari per dona sapientiae et consilii; tamen non posse intercipi iudicium, excedit statum viae propter duo. Primo et principaliter, quia rationem esse semper in actu rectae contemplationis in statu viae ita, quod omnium operum ratio sit Deus, est impossibile. Secundo quia in statu viae non contingit, inferiores vires ita rationi esse subditas, ut actus rationis nullatenus propter eas impediatur, nisi in Domino Iesu Christo, qui simul viator et comprehensor fuit. Sed tamen per gratiam viae ita potest homo bono astringi, quod non nisi valde de difficili peccare possit,

per hoc quod ex virtutibus infusis: 1. inferiores vires refrænantur; et 2. voluntas in Deum fortius inclinatur; 3. et ratio perficitur in contemplatione Veritatis divinae, cuius continuatio ex fervore amoris proveniens hominem retrahit a peccato. Sed totum, quod deficit ad confirmationem, completur per custodiam Divinae Providentiae in illis, qui confirmati dicuntur: ut scilicet quodcumque occasio peccati se ingerit, eorum mens divinitus excitetur ad resistendum. (De Veritate qu. 24 a. 9.)

### III. Observationes.

1. Nulla creatura nec est nec esse potest, cuius liberum arbitrium sit naturaliter confirmatum in bono, ut hoc ei ex puris naturalibus conveniat, quod peccare non possit. Inter naturas rationales solus Deus habet liberum arbitrium naturaliter impeccabile et confirmatum in bono; creaturae vero hoc inesse impossibile est. Solus Deus est actus purus, et per hoc ei naturaliter et immutabiliter inest ratio universalis et perfecti boni. Creatura quaelibet cum in natura sua habeat permixtionem potentiae, est bonum particulare. In quo fundatur ratio mali. Nihil est enim aliud peccatum . . . quam defectus vel inordinatio propriae actionis, cum aliquid agitur non secundum quod debitum est agi. (De Verit. qu. 24 a. 7. Et lib. 3 cont. gent. c. 109.)

2. Peccatum non potest esse in motu voluntatis, nisi praeexistat defectus in apprehensiva virtute. Praecedit igitur in voluntate peccatum actionis defectus ordinis ad rationem et ad proprium finem. (De Verit. qu. 24 a. 8 et lib. 3 cont. gent. c. 110.)

3. In actu igitur voluntatis quaerenda est radix et origo peccati mortalis. (Ibidem.)

4. Potuit in voluntate substantiae separatae esse peccatum ex hoc, quod proprium bonum et perfectionem in ultimum finem non ordinavit, sed inhaesit proprio bono ut fini. Peccatum in substantiis separatis uno modo, in homine dupliciter. (Lib. 3 cont. gent. c. 109 et 110.)

5. Defectus in apprehensiva virtute in primo peccato tam angeli quam primi parentis contigit „non considerando bonum superius, ad quod proprium bonum referendum erat“. Id est: „eligendo aliquid, quod secundum se est

bonum, sed non cum ordine debitae mensurae seu regulae.“ (1 P. qu. 63 a. 1 ad 4. lib. 3 cont. gent. c. 110; 2. 2 qu. 163 a. 1 et 2.) „Nihil est in creaturis, quod attinet ad instituenda divinitus merita naturarum, rationali mente praestantius. Unde fit consequens, ut mens bona magis sibi placeat magisque se ipsa delectet, quam quaelibet alia creatura. Quam vero periculose, imo perniciose sibi placeat, cum per hoc tumescit typho et morbo inflationis extollitur, quamdiu non videt, sicut videbit in fine Summum illud et immutabile Bonum, in cuius comparatione se spernat, sibique illius caritate vilescat, tantoque spiritu eius impleatur, ut id sibi non ratione sola, sed aeterno quoque amore praeponat: multum est disputando velle monstrare.“ (Lib. 4 ad Iulian. Pelagianum. c. 3.)

6. In homine in natura lapsa defectus in apprehensiva virtute etiam potest contingere ex ipsa ratione et ex aliquo extrinseco. Ex ipsa ratione dupliciter: 1. quia potest errare, non habendo rectam existimationem circa bonum hoc vel illud particulare; ut si quis existimaret, furtum non esse peccatum et huiusmodi, 2. quia potest errare in particulari eligibili ex hac ignorantia universalis. Ex aliquo extrinseco dupliciter: 1. Ex impetu passionis, per quam intercipitur iudicium rationis, ne actu iudicet in particulari, quod in universalis habitu tenet, sed sequatur passionis inclinationem; 2. ex inclinatione habitus vitiosi; qualis enim intus unusquisque est, talis finis ei videtur. (De Verit. qu. 24 a. 8, 9 et 10.)

7. Confirmatio in bono simpliciter fit per visionem Divinae Essentiae. Modus, quo beatitudo constituitur immutabilis, est elevando subiectum supra mutabilitatem. Ex hoc enim, quod mens humana elevatur in aeternitatis ordinem, oportet quod praelevator in ordinem immutabilium; quoniam aeternitas immutabilitatem sequitur. Beatitudo perfecta, de qua loquimur, est secundum se incorruptibilis et per se sibi vindicat perennitatem. Causa formalis immutabilitatis, quia est perfectio consummata. Causa vero effectiva, divina virtus. Causa autem materialis, elevatio hominis in participationem aeternitatis. Causa denique finalis, bonitas per essentiam: cuius adeptio est beatitudo formalis, quae mensuratur aeternitate participata et non aevo. Inamissibilitas est causa perpetuitatis. (Caietanus 1. 2 du. 6 a. 4.)

8. Confirmatio in bono in statu viae fit per gratiam

et virtutes infusas, et completur per gratiam Dei actualem ex se et per se efficacem. In B. Virgine fuit gratia sanctificans ita perfecta, ut etiam tolleretur fomes peccati. (De Verit. qu. 24 a. 9. 3. P. qu. 27 a. 3.)

9. Confirmatio in patria habet necessitatem infallibilitatis tam ex parte Dei ut moventis, quam ex parte liberi arbitrii ut moti. Confirmatio autem in via solum ex parte Dei ut moventis. Contingentia enim ad oppositum remanet adhuc in libero arbitrio. (1. 2 qu. 112 a. 3. Concil. Trident. sess. 6 can. 4.) Unde D. Thomas (de Verit. qu. 24 a. 9 ad 4): „Non est aliquis in statu viae omnino confirmatus, sicut non omnino perfectus; sed aliquo modo potest dici confirmatus sicut et perfectus.“ „Posse peccare non facit ad meritum, sed ad meriti manifestationem, in quantum ostendit, opus bonum esse voluntarium; et ideo inter laudes viri iusti ponitur, quia laus est virtutis manifestatio.“ (Eccli. c. 31 v. 10 ad 5. 3 P. qu. 27 a. 3 ad 2.) „Necessitas, quae est ex suppositione voluntatis immutabiliter aliquid volentis, non minuit rationem voluntarii, sed auget tanto magis, quanto ponitur firmiter inhaerens volito, ut moveri non possit.“ (3 Sent. dist. 20 qu. 1 a. 1 ad 2.) Ex hoc enim creatura rationalis in iustitia confirmatur, quod efficitur beata per apertam Dei visionem; cui visio non potest non inhaerere, cum ipse sit ipsa essentia bonitatis, a qua nullus potest averti; cum nihil desideretur et ametur nisi sub ratione boni. Et hoc dico secundum legem communem, quia ex aliquo privilegio speciali secus accidere potest, sicut creditur de Virgine Matre Dei.“ (1 P. qu. 100 a. 2.)



## IM DIENSTE DES „UNBEWUSSTEN“.

Ein Wort zu Arthur Drews' Religionsphilosophie.

VON P. LAURENTIUS ZELLER, O. S. B.

Es ist nachgerade ein Hohn auf den Ernst und die Würde der Wissenschaft, wenn die Jünger der „modernen“ Philosophie in den überschwenglichsten Ausdrücken die Freiheit des Geistes rühmen, die sich die „Menschheit“ im Kampfe mit dem „alten Glauben“ errungen, und doch nicht aufhören, der Reihe nach mit dem unerhörten An-